

peccati, aut propter altitudinem dignitatis. Infideles autem pereunt tantum quantum potest eos perdere Christus. *Chrysoſtomus* in hom. 69. Vel hic duas perditiones eorum offendit, unam ab eo quod offenderunt, & scandalizati sunt; quam designat dicens: *Qui ceciderunt super lapidem*: aliam (1) à captivitate eis superventura; quam manifestat dicens: *Super quem vero ceciderit*. *Augustinus* de Quæst. Evang. (Lib. 1. cap. 30.) Vel de his dicit quod cadent super eum, qui illum modo contempnunt, vel injuriis afficiunt: ideo nondum penitus intereunt, sed tamen confringuntur, ut non recti ambulent: super quos cadet, dum venit desuper in judicio cum poena perditionis: ideo dixit: *Conteret eos*, ut sint impii, tamquam pulvis, quem projicit ventus à facie terræ: *Psalm. 1.*

(g) *Hieronymus* (super *Cum audissent principes*). Quamvis duro corde Judæi propter incredulitatem essent, tamen intelligebant contra se omnes Domini sententias dirigi: unde dicitur: *Et cum audissent principes sacerdotum, & pharisæi parabolam ejus, cognoverunt quod de ipsis diceret*. *Chrysoſtomus* super *Matth.* (hom. 40. in op. imperf.) Hæc est autem differentia bonorum, hominum & malorum: bonus enim comprehensus in peccato, gemit quia peccavit; malus autem fremit, non quia peccavit, sed quia comprehensus est in peccato; & non solum poenitentiam non agit, sed magis adversus corripientem irascitur: unde & isti comprehensi, magis ad malitiam sunt excitati: sequitur enim: *Et querentes tenere eum, timerunt turbas, quoniam sicut Prophetam eum habebant*. *Origenes* (tract. 19.) Sapiunt quidem aliqui

(1) *Al.* in captivitate.

C A P U T XXII.

(a) **E**T respondens Jesus dixit iterum in parabolis, eis dicens: Simile factum est Regnum Cælorum homini Regi, qui fecit nuptias filio suo; & misit servos suos vocare invitatos ad nuptias; & volebant venire. Iterum misit alios servos, dicens: Dicitur invitatis: Ecce prandium meum paravi, tauri mei, & altitia occisa sunt, & omnia parata: venite ad nuptias. Illi autem neglexerunt, & abierunt, alius in villam suam, alius vero ad negotiationem suam; reliqui vero tenuerunt servos ejus, & contumeliis affectos occiderunt. Rex autem cum audisset, iratus est, & missis exercitibus suis perdidit homicidas illos, & civitatem illorum succendit. Tunc ait servis suis: Nuptiæ quidem paratæ sunt; sed qui invitati erant, non fuerunt digni. Ite ergo ad exitus viarum, & quoscumque inveneritis vocare ad nuptias. Et egressi servi ejus in vias, congregaverunt omnes quos invenerunt, bonos, & malos; & impletae sunt nuptiæ discumbentium. Intravit autem Rex, ut videret discumbentes, & vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali; & ait illi: Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem? At ille obmutuit. Tunc dixit Rex ministris: Ligatis manibus & pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus, & stridor dentium. Multi enim sunt vocati, pauci vero electi.

eo quod verum est. Prophetam eum aestimantes, non autem magnitudinem ejus intelligunt, secundum quod erat Filius Dei. Turbas autem sic sapientes de eo, & paratas pro eo pugnare timent principes: neque enim ad eorum scientiam pertingere possunt, nihil dignum sentientes de eo. Deinde sciendum est, quoniam volentium Jesum tenere, differentia est. Aliter enim principes, & pharisæi querebant eum tenere; aliter sponsa quæ dicit *Cant. 4.* Tenui eum, nec dimittam: adhuc enim tentura melius, sicut dicit *ibid. 7.* Ascendam in palmam, & tenebo altitudinem ejus. Omnes enim non recte sapientes de divinitate, tenere volunt Jesum, & perdere eum. Et alia quidem verba, propter verbum Christi, possibile est comprehendere, & tenere; verbum autem veritatis nemo potest comprehendere, id est intelligere; neque tenere, id est convincere; neque sapere à sensu credentium; neque mortificare, id est destruere. *Chrysoſtomus* super *Matth.* (hom. 40. in op. imperf.) Omnis etiam homo malus, quantum ad voluntatem suam, & manus mittit in Deum, & occidit eum. Qui enim præcepta Dei conculcat, qui murmurat contra Deum, & turbato vultu aspicit cælum, nonne, si fieri potuisset, manus mitteret in Deum, & occideret eum; ut jam licenter peccaret? *Rabbanus* (circ. fin. *Com.* in 21. cap. *Matth.*) Sed tamen quod timent mittere manum in Jesum propter turbam, quotidie in Ecclesia geritur, cum quilibet solo nomine frater, fidei, & pacis unitatem, quam non diligit, propter bonos cohabitantes, vel erubescit impugnare, vel timent.

(b) *Chrysoſtomus* in hom. 70. Quia dixerat, *Dabitur genti facienti fructus ejus*, hic ostendit cui genti: unde dicitur: *Et respondens Jesus, dixit iterum in parabolis eis, dicens: Simile factum est Regnum Cælorum, &c.* *Glossa* (interlinearis.) Dicit autem, *Respondens*, id est obvians præ cogitationi eorum de morte sua. *Augustinus* de *Con. Evang.* (Lib. 2. cap. 71.) Parabolam autem istam solus *Matthæus* narrat: simile quidem etiam *Lucas* commemorat, sed non est hoc, sicut & ipse ordo indicat. *Gregorius* in hom. 36. al. 38. in *Evang.* Hic per nuptias, præfens Ecclesia; illic per cenam, æternum, & ultimum convivium designatur: quia & in hanc nonnulli exituri intrant; ad illud quisquis semel intraverit, ulterius non exiit. At si quis forte contendat hanc eandem esse lectionem, intelligi forsitan potest quia de projecto eo, qui cum nuptiali veste non intraverat, quod *Lucas* tacuit, *Matthæus* dixit; quod vero per illum cena, per hunc autem prandium dicitur, nequaquam obstitit: quia cum ad horam nonam apud antiquos prandium fieret quotidie, ipsum quoque prandium cena vocabatur. *Origenes*, tract. 20. Regnum autem Cælorum simile est, secundum eum quidem qui regnat, homini Re-

(b) Tunc

(b) Tunc abeuntes pharisæi, consilium inierunt, ut caperent eum in sermone. Et mittunt ei discipulos suos cum herodianis dicentes: Magister scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non est tibi cura de aliquo: non enim respicis personam hominum. Dic ergo nobis, & non est tibi cura de aliquo? Licet censum dari Cæsari, an non? Cognita autem Jesus nequitia eorum, ait: Quid me tentatis hypocrita? Ostendite mihi numisma census. At illi obtulerunt ei denarium. Et ait illis Jesus: Cujus est imago hæc, & superscriptio? Dicunt ei, Cæsaris. Tunc ait illis: Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. Et audientes, mirati sunt, & relicto eo abierunt.

(c) In illa die accesserunt ad eum sadducæi, qui dicunt non esse resurrectionem, & interrogaverunt eum, dicentes: Magister, Moyses dixit, si quis mortuus fuerit non habens filium, ut ducat frater ejus uxorem illius, & suscipiat semen fratri suo. Erant autem apud nos septem fratres, & primus uxore ducta defunctus est, & non habens semen, reliquit uxorem suam fratri suo. Similiter secundus, & tertius usque ad septimum. Novissime autem omnium & mulier defuncta est. In resurrectione ergo cujus erit de septem uxor? Omnes enim habuerunt eam. Respondens autem Jesus, ait illis: Erratis, nescientes Scripturas, neque virtutem Dei: in resurrectione enim neque nubet, neque nubentibus. Sed erunt sicut Angeli Dei in Cælo. De resurrectione autem mortuorum non legistis quod dicitur est à Deo dicente vobis: Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob? Non est Deus mortuorum, sed viventium. Et audientes turbæ, mirabantur in doctrina ejus.

(d) Pharisæi autem audientes quod silentium imposuisset sadducæis, convenerunt in unum, & interrogavit eum unus ex eis legis doctor, tentans eum: Magister quod est mandatum magnum in lege? Ait illi Jesus: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & in tota mente tua: hoc est maximum, & primum mandatum. Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum. In his duobus mandatis universa lex pendet, & Propheta.

(e) Congregatis autem pharisæis, interrogavit eos Jesus dicens: Quid vobis videtur de Christo? Cujus filius est? Dicunt ei, David. Ait illis: Quomodo ergo David in spiritu vocat eum Dominum, dicens: Dixit Dominus Domino meo: Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum? Si ergo David vocat eum Dominum, quomodo filius ejus est? Et nemo poterat ei respondere verbum, neque ausus fuit quisquam ex illa die eum amplius interrogare.

(a) **C**hrystomus in hom. 70. Quia dixerat, *Dabitur genti facienti fructus ejus*, hic ostendit cui genti: unde dicitur: *Et respondens Jesus, dixit iterum in parabolis eis, dicens: Simile factum est Regnum Cælorum, &c.* *Glossa* (interlinearis.) Dicit autem, *Respondens*, id est obvians præ cogitationi eorum de morte sua. *Augustinus* de *Con. Evang.* (Lib. 2. cap. 71.) Parabolam autem istam solus *Matthæus* narrat: simile quidem etiam *Lucas* commemorat, sed non est hoc, sicut & ipse ordo indicat. *Gregorius* in hom. 36. al. 38. in *Evang.* Hic per nuptias, præfens Ecclesia; illic per cenam, æternum, & ultimum convivium designatur: quia & in hanc nonnulli exituri intrant; ad illud quisquis semel intraverit, ulterius non exiit. At si quis forte contendat hanc eandem esse lectionem, intelligi forsitan potest quia de projecto eo, qui cum nuptiali veste non intraverat, quod *Lucas* tacuit, *Matthæus* dixit; quod vero per illum cena, per hunc autem prandium dicitur, nequaquam obstitit: quia cum ad horam nonam apud antiquos prandium fieret quotidie, ipsum quoque prandium cena vocabatur. *Origenes*, tract. 20. Regnum autem Cælorum simile est, secundum eum quidem qui regnat, homini Re-

gi; secundum eum autem qui congregat, filio Regis; secundum ea vero quæ sunt in regno Regis, servis, & invitatis ad nuptias: inter quos est & exercitus Regis. Additum est autem, *Homini Regi*, ut hominibus quasi homo loquatur; & dispense homines non cupientes dispensari à Deo. Sed tunc cessabit Regnum Cælorum esse simile homini, cum cessante zelo, & contentione, & cæteris passionibus, & peccatis, cessaverimus secundum hominem ambulare, & videbimus eum sicuti est. Nunc enim videmus eum non sicuti est, sed sicuti per nostram dispensationem factus fuerit nobis. *Gregorius* (in hom. 38. in *Evang.*) Tunc autem Deus Pater Deo Filio nuptias fecit quando hunc in utero Virginis humanæ naturæ conjunxit. Sed quia ex duabus personis fieri solet nuptiarum conjunctio, absit hoc ab intellectibus nostris ut personam Redemptoris nostri ex duabus personis credamus esse unitam: Ex duabus quippe, atque in duabus hunc naturis existere dicimus; sed ex duabus personis credere compositum ut nefas vitamus. Securius ergo dici potest, quia in hoc Rex Pater Regi Filio nuptias fecit quod ei per Incarnationis mysterium Sanctam Ecclesiam sociavit. Uterus autem Genitricis Virginis hujus

spon-

sponsi thalamus fuit. *Chrysofomus* super *Matth.* (hom. 61. in oper. imperf.) Vel aliter. Cum resurrectio fuerit facta Sanctorum, tunc suscipiet hominem vita, quæ est Christus, mortalitatem ejus sua (1) immortalitate absorbens. Nunc enim quasi arthas futuri conjugii Spiritum Sanctum accipimus, tunc autem ipsum Christum plenius in nobis habebimus. *Origenes*, can. 20. Vel conjunctionem sponsi ad sponsam, idest Christi ad animam, Verbum susceptionem intellige; partus autem opera bona. *Hilarius*, can. 22. Merito autem à Patre jam sunt hæ nuptiæ factæ, quia æternitatis hujus societas, & novi corporis deponata conjunctio habetur jam perfecta in Christo.

Sequitur: *Et misit servos suos vocare invitatos ad nuptias; & noluerunt venire.* *Chrysofomus* (super *Matth.* hom. 41. oper. imperf.) Ergo quando misit servos suos, jam invitati prius erant. Invitati sunt enim homines à tempore Abrahamæ, cui Christi incarnatio promittebatur. *Hieronymus* (in *Comment.* cap. 22. *Matth.* sub. princ.) *Misit* autem *servos suos*; nec dubium quin Moysen, per quem legem invitatis dedit. Si autem *servos* legerimus, ut (2) plura habent exemplaria, ad Prophetas referendum est; quia invitati per eos, venire contempserunt. Sequitur: *Iterum misit alios servos dicens: Dicitis invitatis, &c.* Servi qui secundo missi sunt, melius est ut Prophetæ intelligantur, quam Apostoli; ita tamen si *servos* supra fuerit scriptus; sin autem *servos* ibidem legas, hic servi secundi, Apostoli sunt intelligendi. *Chrysofomus* super *Matth.* (hom. 41. oper. imperf.) Quos misit cum eis dixit supra 10. *In viam Gentium ne abieritis... sed potius ite ad oves perditas domus Israel.* *Origenes*, tract. 20. Vel qui primi mittuntur servi vocare invitatos ad nuptias, habentur Prophetæ convertentes ex populo per suas prophetias (3) ad læticiam, & restitutionem Ecclesiæ ad Christum. Qui autem noluerunt venire in primis invitati, sunt qui noluerunt audire verba Prophetarum. Iterum alii transmissi, alia congregatio Prophetarum est. *Hilarius*, can. 22. Vel servi primo missi, qui invitatos vocarent, Apostoli sunt; qui autem admonentur ut veniant, invitati antea, populus Israel est: in gloriam enim æternitatis per legem est advocatus. Apostolorum ergo erat proprium commonefacere eos quos invitaverant Prophetæ. Qui vero iterum cum prætorum conditione mittuntur, apostolici viri sunt successores eorum. *Gregorius* (hom. 38. in *Evang.*) Sed quia hi qui prius invitati sunt, ad nuptiarum convivium

(1) *Al.* mortalitate. (2) *Al.* pleraque. (3) *Apud Nicolajum est ad læticiam constitutionis Ecclesiæ.*
(4) *Al.* signantur. (5) *Al.* emittitur quasi altilia. (6) *Al.* sperandum. (7) *Al.* audivimus.
(8) *Al.* fortia, quoque.

venire noluerunt, in secunda invitatione jam dicitur: *Ecce prandium meum paravi.* *Hieronymus* (super *Dicitis invitatis*) Prandium paratum, & tauri, & altilia occisa, vel per metaphoram opes regis describuntur, ut ex carnalibus intelligantur spiritalia; vel certe dogmatum magnitudo, & doctrina Dei lege plenissima sentiri potest. *Chrysofomus* super *Matth.* (hom. 41. in oper. imperf.) Cum ergo Dominus Apostolis dixit *Matth.* 10. „Euntes, prædicare dicentes, quia appropinquavit Regnum Cælorum,“ hoc significavit quod hic dicitur: *Prandium meum paravi*; idest, ex lege, & Prophetis Scripturarum mensa ornata; unde sequitur: *Tauri mei, & altilia occisa sunt.* *Gregorius* (in hom. 38. ut supra.) Per tauros autem patres veteris testamenti (4) significantur; qui ex permissione legis inimicos suos virtutis corporeæ cornu feriabant. Altilia vero faginata dicimus; ab eo enim quod est alere, *altilia*, (5) quasi altilia, vel quasi alita vocamus. Per altilia ergo patres novi testamenti figurantur; qui dum gratiam pinguedinis internæ dulcedinis percipiunt, à terrenis desideriis ad sublimia contemplationis suæ penna subleventur. Dicit ergo: *Tauri mei, & altilia occisa sunt*; ac si diceret: Patrum præcedentium mortes aspicietis, & remedia vitæ vestræ cogitate. *Chrysofomus* super *Matth.* (hom. 41. in oper. imperf.) Vel aliter. Ideo dicit & faginata, & tauris, non quia & tauri non fuerint faginati, sed quia non omnes faginati fuerunt tauri: ergo faginata tantummodo dicit Prophetas, qui fuerunt Spiritu Sancto repleti; tauris autem qui Prophetæ fuerunt, & sacerdotes, sicut Hieremias, & Ezechiel: ut enim tauri duces sunt gregis, ita & sacerdotes principes sunt populi. *Hilarius*. Vel aliter. Tauri gloriosa martyrum species est, qui confessioni Dei; tamquam hostia electa, sunt immolati; faginata vero sunt homines spirituales, tamquam caelesti pane ad evolandum aves passæ, cæteros accepti cibi libertate expleturæ. *Gregorius* (hom. 36. al. 38. ut supra.) Notandum vero, quod in prioris invitatione nil de tauris, & altilibus dicitur; in secunda autem jam tauri, & altilia mactata memorantur: quia omnipotens Deus, cum verba ejus audire volumus, adjungit exempla: ut omne quod impossibile credimus, tanto nobis ad (6) sperandum fiat facilius, quanto per hoc transisse, & alios (7) audimus. *Origenes*, tract. 20. Vel quia prandium quod paratur, est eloquium Dei, (8) fortia quoque eloquiorum Dei, tauri intelligantur, suavia vero, & delectabilia eorum, sunt.

sunt faginata. Si quis enim proferat quædam dicta modica, & non firma, & non magnam virtutem rationis habentia, videntur macra esse quæ proferuntur; faginata autem sunt cum ad unamquamque propositionem exempla multa rationis probatione repleta inducuntur: puta si aliquis de castitate sermonem loquitur, recte intelligitur turtur; sed cum ipsum sanctitatis sermonem cum rationis probatione de Scripturis repletum protulerit, ita ut delectet, & confirmet animum audientis, protulit eum faginatum. *Chrysofomus* super *Matth.* (hom. 41. in oper. imperf.) Quod autem dicitur: *Et omnia parata sunt*, intelligitur quia quicquid quaeritur ad salutem, jam adimpletum est in Scripturis; qui enim ignorans est, invenit ibi quod dicit; qui contumax est, invenit ibi quod timeat; qui laborat; invenit ibi promissa, quibus excitetur ad opus. *Glossa* (a) (interlinearis.) Vel *omnia parata sunt*; (1) idest, introitus regni paratus est per fidem meæ incarnationis, qui ante fuerat clausus. *Chrysofomus* super *Matth.* (hom. 41. in oper. imperf.) Vel *omnia parata sunt* dicit quæ pertinent ad mysterium dominicæ passionis, & nostræ redemptionis. Dicit autem: *Venite ad nuptias*, non pedibus, sed fide, & moribus.

Sequitur: *Illi autem neglexerunt.* Quare autem neglexerint, manifestat cum subditur: *Et abierunt, alius in villam suam, alius vero ad negotiationem suam.* *Chrysofomus* in hom. 70. Quamvis autem videantur rationabiles occasiones esse; sed hinc discimus (2) quod, etiam si necessaria sint quæ detinent, omnibus tamen præponere spiritualia oportet. Mibi autem videtur quod his occasionibus usi, negligentia velamina proponebat. *Hilarius*, can. 22. Ambitionem enim sæculi, tamquam villam, homines occupantur; plures vero propter pecuniæ cupiditatem negotiatione detinentur. *Chrysofomus* super *Matth.* (hom. 41. in oper. imperf.) Vel aliter. Cum labore manuum nostrarum aliquid facimus, pura exercentes agrum, vel vineam, aut opus ligni, vel ferri, villam collere videmur; cum autem non labore manuum nostrarum alia lucra sequimur, torum hoc negotio appellatur. O miserimus mundus, & miseri qui eum sequuntur! Semper enim mundalia opera homines excluderunt à vita. *Gregorius* (hom. 38. in *Ev.*) Qui ergo intentus labori terreno, vel mundicialibus deditus, Mysterium Incarnationis dominicæ pensare, & secundum illud vivere (3)

S. Thom. Oper. Tom. VIII.
(1) *Al.* omittitur idest. (2) *Al.* desideratur quod. (3) *Al.* scilicet dissimulat. (4) *Al.* omittitur de. (5) *Al.* mortem.

Ex edit. P. Nicol. (a) Non tamen super illud: *Omnia parata sunt*, sed super illud: *Ecce prandium meum paravi*, prout exemplaria ejus munc habent.

dissimulat, quasi ad villam, vel negotium pergens, venire ad Regis nuptias recusat; & plerumque, quod est gravius, nonnulli vocari, gratiam non solum respiciunt, sed etiam persequuntur: unde subditur: *Reliqui vero tenuerunt servos ejus, & convellunt afflicto occiderunt.* *Chrysofomus* super *Matth.* (hom. 41. oper. imperf.) Vel per occupationem villæ, populares Judæorum significat, quos mundi delectatio separavit à Christo; per occupationem vero negotiationis, Sacerdotes, cæterosque Ministros templi significavit, quos lucri obtentu venientes ad ministerium legis, & templi, avaritia separavit à fide: (4) de quibus non dixit, quod malignati sunt, sed *Neglexerunt*: qui enim odio, aut invidia crucifixerunt Christum, illi malignati sunt; qui autem negotiis impedimenti non crediderunt, illi neglexisse dicuntur, non malignari. De sua tamen morte Dominus tacet, quia in priori parabola dixerat; sed ostendit mortem discipulorum suorum, quos post ascensum ipsius occiderunt Judæi, Stephanum lapidantes, & Jacobum Alphai occidentes; propter quæ Hierusalem destructa est à Romanis. Et notandum, quod ira in Deo non proprie, sed translative dicitur, tunc enim irasci dicitur quando ulciscitur: unde & hic dicitur: *Rex autem cum audivisset, iratus est.* *Hieronymus*. Quando invitabat ad nuptias, & agebat opera clementiæ, hominis nomen appositum est; nunc autem quando ad ultionem venit, homo siletur, & Rex tantum dicitur. *Origenes*, tract. 20. Dicant autem qui peccant in Deum legis, & Prophetarum, & totius creationis, utrum ipse qui & homo dicitur, & iratus proponitur, ipse est Pater Christi. Quod si dixerint hunc ipsum esse, cogendi sunt confiteri quoniam multa in eo secundum passibilem hominum naturam esse dicuntur: non quia ipse passibilis est, sed quia (5) mortem gerit passibilis naturæ hominum. Et secundum hanc consequentiam suscipere convenit & iram Dei; & penitentiam; & cætera hujusmodi in Prophetis.

Sequitur: *Et misit exercitus suos.* *Hieronymus* (super *Misit exercitus suos*) Per hoc exercitus Romanos intelligimus sub Duce Vespasiano, & Tito, qui, occisis Judææ populis, prævaricatricem incenderunt civitatem. *Chrysofomus* super *Matth.* (hom. 41. in oper. imperf.) Romanus autem exercitus dicitur exercitus Dei: „quia Domini est terra, & plenitudo ejus:“ *Psal.* 23. nec etiam venissent Ro-

mani Hierusalem, nisi eos Dominus excitasset. (a) *Origenes*, tract. 20. Vel Angelorum agmina sunt exercitus Regis nostri. Misit ergo exercitibus extinxisse homicidas dicitur, quia in hominibus omne iudicium per Angelos exercetur. Homicidas ergo perdit, quia persequentes in-terim; civitatem eorum igni succendit, quia illorum non solum animæ, sed caro quoque in qua habitaverant, æterna gehennæ flamma cruciantur. *Origenes* (ibid.) Vel civitas impiorum est, secundum unumquodque dogma, congregatio eorum qui conveniunt in sapientia principum huius sæculi, quam succendit Rex, & exterminat, quasi ex malis ædificationibus consistentem. *Gregorius*, hom. 36. al. 38. Sed is qui invitante se contemni conspicit, filii sui nuptias vacuas non habebit: (1) quandoque enim sermo Dei inventurus est ubi requiescat: unde subditur: *Tunc ait servis suis. Origenes* (ibid.) Id est Apostolis, aut Angelis, qui præpositi erant in vocatione Gentium.

Nuptiæ quidem paratæ sunt. Remigius. Id est, omne sacramentum humanæ dispensationis jam peractum, atque completum est. Sed qui invitati erant, id est Judæi, non fuerunt digni: quia Dei iustitiam ignorantes, & suam statuere volentes, indignos se iudicaverunt æternæ vitæ. Rom. 10. Reprobato ergo iudaico populo, ad has nuptias gentilis populus est susceptus: unde sequitur: *Ite ergo ad exitus viarum, & quæcumque inveneritis, vocate ad nuptias. Hieronymus* (super *Nuptiæ paratæ*.) Gentilis enim populus non erat in viis, sed in exitibus viarum. *Remigius*. Qui sunt errores Gentilium. *Chrysostomus* super *Matth.* (hom. 41. in oper. imperf.) Vel viæ sunt omnes professiones huius mundi, ut puta Philosophiæ, malitiæ, & huiusmodi. Dicit ergo: *Ite ad exitus viarum*: ut cuiuslibet conditionis homines vocent ad fidem. Adhuc sicut castitas via est quæ ducit ad Deum; sic fornicatio via est quæ ducit ad diabolum; & sic de aliis virtutibus, & vitiis. Jubet ergo, ut cuiuscumque conversationis, vel conditionis homines invitent ad fidem. *Hilarius*, can. 22. Per viam etiam tempus sæculi intelligendum est; atque ideo ad exitus viarum iuventur ire, quia omnibus retroacta donantur. *Gregorius*, hom. 36. al. 38. Vel aliter. In Scriptura Sacra vias actiones accipimus; exitus viarum intelligimus defectus actionum; quia illi plerumque facile ad Deum veniunt quos in terrenis actionibus prospera nulla comitatur. *Origenes* (tract. 20. super *Matth.* cap. 22.) Vel aliter. Puto hanc primam vocationem fuisse ad

nuptias aliquarum ingeniarum animarum: principaliter enim Deus vult venire ad epulationem divini eloqui eos qui ad intelligendum sunt ingeniosiores: & quoniam qui huiusmodi sunt, nolunt ad istam vocationem venire, transmittuntur alii servi provocantes eos, & promittentes quod, si venerint, percipient prandium paratum à Rege. Sicut enim in corporalibus alia est quæ nubet sponsa, alii invitatores, alii qui invitantur ad nuptias; sic Deus scit diversos ordines animarum, earumque virtutes, & causas; ob quas hi quidem in constitutione sponsæ accipiuntur, alii in ordine servorum vocantur, alii in numero invitatorum ad nuptias. Sed qui principaliter quidem fuerant invitati, primos invitatores quasi pauperes sensu neglexerunt, & abierunt sua sequentes, in quibus magis sunt delectati quam in his quæ Rex per servos suos promittebat; sed hi leviores sunt his qui servis transmissis injuriuntur, & interficiuntur; qui scilicet præparatione contentiosorum verborum ausi sunt tenuisse servos missos, qui non sunt præparati ad solvendas questiones eorum versutas; & contumelias afficiuntur, vel interficiuntur ab eis.

Sequitur: *Et egressi servi ejus in vias, congregaverunt omnes quos invenerunt bonos, & malos. Origenes*, ubi supra. Egressi servi, sive de Judæa, & Hierusalem Apostoli Christi, sive ab interioribus Angeli sancti, & venientes ad vias diversas diversorum morum, congregaverunt quoscumque invenerunt: & non curant, utrum aliquando ante vocationem mali fuerint, aut boni. Bonos autem intelligere hic simpliciter convenit humiliores, & rectiores ex eis qui veniebant ad cultum Dei, quibus conveniebat quod Apostolus ait Rom. 2. Cum gentes quæ legem non habent, ea quæ legis sunt faciunt, ipsi sibi sunt lex. *Hieronymus* (super *Nuptiæ quidem paratæ sunt*.) Inter ipsos enim Gentiles infinita est diversitas; cum alios sciamus esse procliviores ad vitia, alios ad honestatem morum virtutibus deditos. *Gregorius*, hom. 36. al. 38. Vel hoc dicit, quia in hac Ecclesia nec mali sine bonis, nec boni sine malis esse possunt. Bonus autem non fuit qui malos tolerare recusavit.

Sequitur: *Et impleta sunt nuptiæ discumbentium. Origenes*, tract. 20. Nuptiæ, scilicet Christi, & Ecclesiæ, sunt impletæ, dum restituti Deo qui ab Apostolis sunt inventi recubuerunt ad epulandum in nuptiis. Sed quoniam bonos, & malos oportuit quidem vocari, non autem ut mali permanerent mali, sed ut deponerent vestimenta contraria nuptiis, & indierent nuptialia

indumenta, scilicet viscera misericordiæ, & benignitatis; ideo Rex egreditur, ut videat discumbentes priuquam apponatur eis prandium, ut retineat habentes nuptialia vestimenta, (1) & delectet; condemnetque contrarios; unde sequitur, *Intravit autem Rex, ut videret discumbentes. Chrysostomus* super *Matth.* (hom. 41. oper. imperf.) Non quia alicubi ipse non est; sed ubi vult per iudicium aspicere, ibi dicitur præsens; ubi autem non vult, absens videtur. Dies autem aspectionis est dies iudicii, quando visitaturus est Christianos, qui super mensam Scripturarum recumbunt. *Origenes*, tract. 20. Ingre- diens autem invenit quemdam qui non mutaverat proprios mores: unde sequitur: *Et vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali*. Singulariter dixit, quia unius sunt generis omnes qui servant malitiam post fidem, quam habuerant ante fidem. *Gregorius*, hom. 36. al. 38. Quid autem debemus intelligere per nuptialem vestem nisi caritatem? Quia hæc in se Dominus habuit, dum ad sociandæ vias Ecclesiæ nuptias veniret. Intrat ergo ad nuptias, sed sine veste nuptiali, qui in Ecclesia fidem habet, sed caritatem non habet. *Augustinus* contra *Fauftum*, lib. 2. cap. 19. Vel sine veste nuptiali nuptias adit qui quaerit ibi gloriam non sponsum, sed suam. *Hilarius* (can. 22. in *Matth.*) Vel vestis nuptialis est gratia Spiritus Sancti, & candor habitus cælestis qui bonæ interrogationis confessione susceptus, usque in cæterum Regni Cælorum immaculatus, & integer est relevandus. *Hieronymus* (super *Vidit unum non vestitum*.) Vel vestis nuptialis præcepta sunt Domini, & opera quæ complentur ex lege, & Evangelio, novique hominis efficiunt vestimentum; quod qui in die iudicii inventus fuerit sub nomine Christiano non habere, statim corripitur; unde sequitur: *Et ait illi: Amice, quomodo hic intraisti non habens vestem nuptialem?* Amicus vocat, quia est invitatus ad nuptias, quasi sit amicus per fidem. Arguit autem impudentiæ, quod veste sordida munditias polluerit nuptiales. *Origenes*, tract. 20. Et quoniam qui peccat, & non induit Dominum Jesum Christum, non habet excusationem aliquam, ideo sequitur: *At ille obmutuit. Hieronymus*. In tempore enim illo non erit locus impudentiæ, nec negandi facultas; cum omnes Angeli, & mundus ipse testes sint peccatorum. (a) *Gregorius*, hom. 36. al. 38. Non autem solum rejectus est à nuptiis qui injuriam nuptiis fecit, sed adhuc à ministris Regis super vincula constitutus ligatus incesione, qua non est usus ad bonum, & apprehensoria virtute, qua nul-

lum opus ad bonum implevit, & condemnatus est in loco ab omni lumine alieno, qui vocatur tenebræ exteriores: unde sequitur: *Tunc Rex dixit ministris: Ligatis manibus, & pedibus, mitte eum in tenebras exteriores. Gregorius*, hom. 36. al. 38. Ligantur tunc pedes, & manus per distributionem sententiæ, qui modo à pravis operibus ligari noluerunt per meliorationem vitæ; vel tunc ligat pena quos modo à bonis operibus ligavit culpa. *Augustinus* de Trinit. cap. 6. Pravam vero, atque distortam voluntatum implicatio vinculum est quo alligatur qui hæc agit, ut projiciatur in tenebras exteriores. *Gregorius* (hom. 38. in *Evang.*) Interiores autem tenebras dicimus cæcitate cordis, exteriores vero (2) tenebras æternam noctem damnationis. *Chrysostomus* super *Matth.* (hom. 41. oper. imperf.) Vel per hoc designatur differentia tormentorum in peccatoribus. Sunt enim primæ tenebræ exteriores, interiores autem minores, & novissima loci.

Sequitur: *Ibi erit fletus, & stridor dentium. Hieronymus* (super *illud, Ligatis pedibus, & manibus*.) In fletu oculorum, & stridore dentium, per metaphoram membrorum corporalium, magnitudo offenditur tormentorum. Manus quoque ligatas, & pedes, fletum oculorum, & stridorem dentium, ad comprobandam resurrectionis intellige veritatem. *Gregorius*, hom. 38. ut supra. Ut illic dentes strident, qui de edacitate gaudebant; illic oculi desistant, qui hic per illicitas concupiscentias versabantur; quatenus singula membra supplicio subjaceant, quæ hic singulis quibusque vitiis subiecta serviebant. *Hieronymus* (super *Multi sunt vocati, pauci vero electi. Hilarius*, can. 22. In invitante enim sine exceptione, publica bonitatis humanitas est; in invitatis vero, vel vocatis, de iudicio meritorum probitatis electio est. *Gregorius*, hom. 36. al. 38. Nonnulli enim bona nec incipiunt, nonnulli vero in bonis quæ inceperunt, minime persistunt. Tanto ergo sibi unusquisque sollicitè metuat, quanto ignorat quæ resistent. *Chrysostomus* super *Matth.* (hom. 41. in oper. imperf.) Vel aliter. Quotiens Deus tentat Ecclesiam suam, ingreditur ad eam, ut videat discumbentes; & si invenerit aliquem non habentem vestem nuptialem, interrogat eum: Ut quid factus est Christianus, si hæc opera, & pedes, id est motus animæ; & mittunt eum in tenebras, id est errores

(1) Al. quemque.

EX EDIT. P. NICOL. (a) *Gregorius* ut supra.

(1) Al. P. Nicolai legit quibus delectetur. (2) Al. deest tenebras. (3) Al. diligebas: sic etiam habet P. Nicolai.

EX EDIT. P. NICOL. (a) *Origenes* ut supra.

vel Gentium, vel Judæorum, vel hæresim: propinquiores enim sunt tenebræ Gentilium, quia veritatem spernunt quam non audierunt; sed exteriores Judæorum, qui audierunt, sed non crediderunt; sed magis exteriores hæreticorum, qui audierunt, & dicerunt.

(b) *Chrysostramus* super Matth. (hom. 42. in op. imperf.) Sicut si aliquis claudere voluerit aquæ currentis meatum, si exclusa fuerit per aliquam violentiam, aliunde semitam querit; sic Judæorum malignitas, ex una parte confusa, alium sibi aditum advenit: unde dicitur: *Tunc abeuntes pharisæi consilium inierunt, ut caperent eum in sermone.* Abierunt, inquam, ad herodianos. Quale consilium, tales & consiliatores; & ideo sequitur: *Et mittunt ei discipulos suos cum herodianis.* *Glossa* (a) (ordinaria) Tamquam ignotis, ut facilius deciperent, & per eos illum caperent; cum timentes turbam, hoc per se non præsumerent facere. *Hieronymus* (super *Tunc abeuntes pharisæi*) Nuper quidem sub Cæsare Augusto Judæa subiecta Romanis, quando in toto orbe est celebrata descriptio, stipendiaria facta fuerat; & erat in populo magna seditio, dicentibus aliis pro securitate, & quiete, quia Romani pro omnibus militarent, debere tributa persolvi; pharisæis vero qui sibi applaudebant in iustitia, è contrario nitentibus non debere populum Dei, qui decimas solveret, & primitias daret, & cætera quæ in lege scripta sunt, humanis legibus subjacere. Cæsar autem Augustus Herodem Filium Antipatris alienigenam, & profelytum Regem Judæis constituerat, qui tribus præficeret, & Romano pareret imperio. Mittunt igitur pharisæi discipulos suos cum herodianis, idest militibus Herodis, seu quos illudentes pharisæi, quia Romanis tributa solvebant, herodianos vocabant, & non divino cultui deditos. *Chrysostramus* in hom. 71. Propter hoc autem suos discipulos, & Herodis milites simul mittunt, ut quodcumque dixerit reprehendatur: cupiebant enim magis adversum herodianos eum aliquid dicere: quia enim eum detinere timebant propter turbas, voluerunt ei periculum immittere ex hoc quod esset publicis tribus obnoxius. *Chrysostramus* super Matth. (hom. 42. in opere imperf.) Hæc est autem hypocritarum prima simulatio, quia laudant quos perdere volunt; & ideo in laudem prorumpunt, dicentes: *Magister, scimus quia verax es.* Magistrum eum vocant, ut quasi honoratus, & laudatus mysterium sui cordis simpliciter eis aperiat, tamquam volens eos habere discipulos.

(1) *Al.* de Deo. (2) *Al.* illic. (3) *Al.* omittit sed.

Ex edit. P. NICOL. (a) Partim interlinealis, partim collateralis, verbis paululum immutatis quoad posteriorem partem. (b) Quod subiungitur ex Glossa, non occurrit.

Glossa (b) Tripliciter autem contingit aliquem veritatem non docere. Primo ex parte ipsius docentis, quia scilicet veritatem, vel non novit, vel non amat; & contra hoc dicunt: *Scimus quia verax es.* Secundo ex parte Dei, cuius timora postposito, quidam veritatem (2) de eo, quam noverunt, non pure annuntiant; & contra hoc dicunt: *Et viam Dei in veritate doces.* Tertio ex parte proximi, ex cuius timore, vel amore aliquis veritatem tacet; & ad hoc excludendum dicunt: *Et non est tibi cura de aliquo, scilicet homine: non enim respicis personam hominum.* *Chrysostramus* in hom. 71. Hoc de Herode, & Cæsare occulte insinuabant. *Hieronymus* (super *Licet tributum dare*) Blanda quidem, & fraudulenta interrogatio (2) illuc provocat respondentem ut magis Deum, quam Cæsarem timeat: unde dicunt: *Dic ergo nobis quid tibi videretur: licet censum dari Cæsari, an non? Ut si dicat non debere tributum solvi, statim audientes herodianis, seditionis reum contra Romanum Principem eum teneant.* *Chrysostramus* in hom. 71. Quia enim sciebant quod quidam hanc discordiam meditantes occisi erant, volebant & ipsum per sermones hos in talem suspitionem immittere.

Sequitur: *Cognita autem Jesus nequitia eorum ait: Quid me tentatis hypocritæ? Chrysostramus* super Matth. (hom. 42. op. imperf.) Non secundum sermones eorum pacificos blande respondit; (3) sed secundum conscientiam eorum crudellem aspera dixit, quia Deus voluntatibus respondet, non verbis. *Hieronymus* (super *Quid me tentatis?*) Prima ergo virtus est respondentis, interrogantium mentes cognoscere, & non discipulos, sed tentatores vocare. Hypocrita ergo vocatur qui aliud est, & aliud simulat. *Chrysostramus* super Matth. (hom. 42. op. imperf.) Dicit ergo eis, *Hypocritæ*, ut considerantes eum humanorum cordium cognitorem, quod facere cogitabant, perficere non auderent. Vide ergo quod pharisæi blandiebantur ut perderent; sed Jesus confundebat eos ut salvaret: quia utilior est homini Deus iratus, quam homo propitius. *Hieronymus* (super *Ostendite mihi*) Sapientia enim semper sapienter agit, ut suis potissimum tentatores sermonibus confunderent: & ideo sequitur: *Ostendite mihi numisma census.* *Al.* ostulerunt ei denarium. Hoc genus nummi est quod pro decem nummis computabatur, & habebat imaginem Cæsaris: unde sequitur: *Et ait illis Jesus: Cujus est imago hæc, & superscriptio? Qui putant interrogationem Salvatoris ignorantiam esse, & non dispensationem, dicant ex*

præ-

præsentis loco, quod utique poterat scire Jesus, cuius imago esset in nummo. Sequitur: *Dicunt ei, Cæsaris:* Cæsarem non putemus Augustum, sed (1) Tiberium significari, sub quo & passus est Dominus. Omnes autem Reges Romani à primo Cajo Cæsare, qui imperium arripuerat, Cæsares appellantur. Sequitur: *Reddit ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari,* idest nummum, tributum, & pecuniam. *Hilarius* (can. 23. in Matth. par. à princ.) Si enim nihil quod Cæsaris est, penes nos relederit, conditione reddendi ei quæ sua sunt non tenebimur. Porro autem si rebus illius incumbamus, si jure potestatis seæ utimur, extra querelam injuriæ est reddere Cæsari quod Cæsaris est. *Chrysostramus* (hom. 71. in Matth.) Tu autem cum audieris: *Reddit quæ sunt Cæsaris Cæsari,* illa scito eum dicere solum quæ in nullo pietati nocent: quia si aliquid tale fuerit, non adhuc Cæsaris est, sed diaboli tributum. Deinde ut non dicant, quoniam hominibus nos subjicis, subdit: *Et quæ sunt Dei Deo.* *Hieronymus* (super *Reddit quæ sunt Cæsaris Cæsari*) Idest decimas, primitias, oblationes, & victimas; sicut & ipse Dominus reddidit Cæsari tributa pro se, & Petro; & Deo reddidit quæ Dei sunt, Patris faciens voluntatem. *Hilarius* (can. 23. post princ.) Deo etiam quæ ejus sunt reddere nos oportet, idest corpus, & animam, & voluntatem. Numisma enim Cæsaris in auro est, in quo est ejus imago depicta. Dei (2) autem numisma homo est; in quo est Dei imago figurata. ideo divitias vestras date Cæsari, Deo autem innocentia vestra conscientiam servate. *Origenes*, tract. 21. Ex hoc loco discimus Salvatoris exemplo, ut non his quæ à multis dicuntur, & propterea gloriosa videntur, occasione pietatis attendamus; sed quæ convenienter secundum ordinem rationis dicuntur. Possimus autem & moraliter intelligere locum istum, quoniam debemus corpori quædam dare quasi tributum Cæsari, idest necessaria. Quæcumque autem sunt convenientia animarum naturæ, idest ea quæ ducunt ad virtutem, debemus Deo offerre. Qui ergo supra modum docent legem Dei, & de rebus debitis corpori nihil curare præcipiunt, sunt pharisæi qui reddere Cæsari tributum verabant, prohibentes scilicet tubere, & abstinere à cibis, quos Deus creavit; qui vero supra modum æstimat oportere corporibus indulgere, ipsi sunt herodianii. Salvator autem noster vult ut nec virtus minoretur dum supra modum carpi servimus; nec carnis natura gravetur, dum abundantius virtutibus adharemus. Vel princeps mundi, idest diabolus, dicitur Cæsari non

enim possumus reddere Deo: quæ Dei sunt, nisi prius reddiderimus principi quæ sunt sua; idest, nisi deposuerimus malitiam universam. Hoc etiam discimus ex loco præsentis quod contra tentantes nec omnino tacere debemus, nec simpliciter respondere, sed circumspicere, ut præcidamus occasionem querentium in nobis occasionem, & doceamus irreprehensibiliter quæ possunt salvare volentes salvari. *Hieronymus* (super *Et audientes mirati sunt*) Qui autem credere debuerant, ad tantam sapientiam mirati sunt, quod calliditas eorum insidiandi non invenisset locum: unde sequitur: *Et audientes mirati sunt, & relicto ea abierunt,* infidelitatem pariter cum admiratione reportantes.

(c) *Chrysostramus* in hom. 71. Constatit pharisæorum discipulis cum herodianis, sadducæi se immittunt; cum tamen ex confusione priorum eos (3) oporteret effici pigriores. Sed præsumptio inverecondum quid est, & peritiosa, & impossibilia tentans; propter hoc & Evangelista stupens eorum dementia, hoc ipsum significat, dicens: *In illa die accesserunt ad eum sadducæi.* *Chrysostramus* super Matth. (hom. 42. op. imperf.) Quando recedebant pharisæi, accesserunt sadducæi: forte tali consilio, quia decertabant quis eum ante deprehendere posset, vel si ratione eum non posset superare, saltem per ipsam frequentiam subverterent sensum ejus. *Hieronymus* (super *Accesserunt ad eum scribæ*) Duæ hæreses erant in Judæis: una pharisæorum, & altera sadducæorum; pharisæi traditionum, & observationum (4) iustitiam præferebant, unde & divisi vocabantur à populo; sadducæi autem, qui interpretantur iusti, & ipsi vendicabant sibi quod non erant; ac prioribus & corporis, & animæ resurrectionem credentibus, consentibusque, & Angelos, & spiritum, sequentes, juxta actus Apostolorum, omnia denegabant: unde & hic dicitur: *Qui dicunt resurrectionem non esse.* *Origenes*, tract. 22. Non solum autem carnis resurrectionem negabant, sed etiam animæ immortalitatem tollebant. *Chrysostramus* super Matth. (hom. 42. oper. imperf.) Videns enim diabolus, quia iustitiam Dei omnino extinguere non potuit, introduxit hæresim sadducæorum, qui dicerent non esse resurrectionem mortuorum; quæ res omne propositum faciendæ iustitiæ frangit; quis enim contentus erit adversus seipsum quotidie iustitiam exercere, nisi ad spem resurrectionis aspiceret? *Gregorius XIV. Moral.* (cap. 39. in nov. exemp. 28.) Sunt autem nonnulli (5) qui considerantes quod spiritus à carne solvitur, quod

P. 4

S. Thom. Op. Tom. XIII. ubi dicitur bonum mortuum

(1) *Al.* Tiberium privignum ejus, item eum. (2) *Al.* deest autem. (3) *Al.* oportet.

(4) *Al.* quæ illi iustitiam præferebant. (5) *Al.* deest qui

caro in putredinem vertitur, quod patredo in pulverem reducitur, quod pulvis in elementa solvitur, ut nequaquam ab humanis oculis videatur, resurrectionem fieri posse desperant; & dum arida ossa inspiciunt, hæc vestiri carnibus, rursusque ad vitam virefcere, posse fieri dissident. *Augustinus* in *Enchir.* (cap. 88.) Non autem perit Deo terrena materies, de qua mortalium creatur caro; sed in quemlibet pulverem, cineremve solvatur, in quoslibet halitus, aurisque diffugiat, in quantumque aliorum corporum substantiam, vel in ipsa elementa vertatur, in quorumcumque animalium, aut etiam hominum cibum cedat, carnemque mutetur, animæ illi humanæ in puncto temporis redditur, eam primus; ut homo fieret, viveret, & cresceret, animavit. *Chrysostomus* super *Matth.* (hom. 42. in op. imperf.) Ad defensionem autem sui erroris invenisse se arguissimam rationem sadducei putabant: unde sequitur: *Et interrogaverunt eum, dicentes: Magister, Moyses dixit, si quis mortuus fuerit &c. Chrysostomus.* (in homil. 71.) Quia enim inmitigabile malum mors erat apud Judæos, qui omnia pro præconi vita faciebant, in legem deduxit Moyses, defuncti sine filiis uxorem fratri dari oportere, ut defuncto filius nasceretur ex fratre, & non excideret nomen ejus; quod erat quedam mortis mitigatio: non autem alius quam frater, vel propinquus jubebatur accipere uxorem defuncti: quoniam non ita putaretur qui ex tali conjunctione erat nasciturus, esse filius ejus qui oblit; & iterum extraneus non ita haberet necessitatem statuere domum ejus qui obierat, sicut frater, cui etiam ex cognatione hoc facere justum erat.

Sequitur: *Erant autem apud nos septem fratres. Hieronymus* (super *Moyses dixit*). Qui resurrectionem corporum non credebant, & animam putabant interire cum corporibus, recte istiusmodi fingunt fabulam, quæ deliramenti arguat eos qui resurrectionem asserant mortuorum. Turpitudinem ergo fabulæ opponunt, ut resurrectionis denegent veritatem: unde concludunt. *In resurrectione ergo cuius erit?* Potest autem fieri ut vere in gente eorum hoc aliquando acciderit. *Augustinus* de *Quest. Evan.* (Lib. 1. cap. 32.) Per hos autem septem fratres mystice intelliguntur homines impii, qui fructum justitiæ non potuerunt asserre in terra per omnes septem mundi ætates, quibus ista terra consistit: postea enim & ipsa terra transiet, per quam omnes illi (1) quasi septem steriliter transierunt.

Sequitur: *Respondens autem Jesus, ait illis: Erratis nescientes Scripturas, neque virtutem Dei.*

(1) P. Nicolai sic (quasi septem marit.)

Chrysostomus super *Matth.* (hom. 42. in oper. imperf.) Sapienter primum arguit stultitiam eorum, quia non legebant; secundo ignorantiam, quia non cognoscebant Deum. Ex diligentia enim dilectionis nascitur scientia Dei: ignorantia autem negligentia filia est. *Hieronymus* (super *Erratis nescientes*). Propterea ergo errant, quia Scripturas nesciunt; & quia Scripturas nesciunt, consequenter ignorant virtutem Dei. *Origenes*, tract. 22. Duas autem res dicit eos nescire; unam quidem Scripturas, alteram autem virtutem Dei, per quam resurrectio fit, & nova vita in ea. Vel Dominus arguens sadduceos nescire virtutem Dei, se eos non cognoscere arguebat: ipse enim erat virtus Dei, & non cognoscebant eum, quasi nescientes Scripturas, quæ loquuntur de eo: propterea nec resurrectionem credebant, quasi facturus fuerat ipse. Queritur autem, cum Salvator dicat, *Erratis nescientes Scripturas*, an dicat quod in quibusdam Scripturis positum est quod sequitur. *In resurrectione neque nubent, neque nubentur*, quod in veteri testamento non legitur scriptum. Nos autem dicimus, quia scriptum est non in ipsis sermonibus manifeste ista dicentibus, sed in mysterio indicantibus secundum intellectum moralem: nam cum sit lex umbra futurorum bonorum, dicens quodlibet de viris, & uxoris, de spiritualibus nuptiis principaliter dicit. Sed nec hoc invenio alicubi Scripturam dicentem, sanctos post exitum fore sicut Angelos Dei; nisi forte quis & hoc moraliter intelligat, secundum illud quod dicitur *Gen.* 15. „Tu autem ibis ad patres tuos:“ item *ibid.* 25. „Appositus est ad populum suum.“ Dicit autem aliquis: Ideo eos increpabat, quia non legebant ceteras Scripturas quæ sunt extra legem, & ideo errabant. Alius autem dicit, quod nesciebant Mosaicæ legis Scripturas, ex eo quod divinum sensum earum non scrutabantur. *Chrysostomus* super *Matth.* (in op. imperf. ubi supra.) Vel quod dicit, *In resurrectione neque nubent, neque nubentur*, retulit ad hoc quod dixerat: *Nescitis virtutem Dei*; quod autem dixit, *Ego sum Deus Abraham &c.* ad illud quod dixit, *Nescitis Scripturas*. Et quidem calumniosioribus primum oportet in aliqua questione auctoritatem Scripturæ proferre, deinde rationem exponere; interrogantibus autem per ignorantiam, prius rationem exponamus, postea auctoritate confirmemus: quoniam calumniosiores convincere oportet, interrogatores autem docere; ideo his interrogantibus per ignorantiam, prius rationem exposuit, dicens, *In resurrectione &c. Hieronymus* (super *In resurrectione neque nubent*). In hoc autem quod dicitur, *Neque nubent, neque nubentur*,

Latina consuetudo Græco idiomati non respondet. Nubere enim apud Latinos proprie dicitur mulieres. Sed nos simpliciter dictum intelligamus quod nubere de viris, & nubi de mulieribus dictum sit. *Chrysostomus* super *Matth.* (hom. 42. in oper. imperf.) In hoc quidem sæculo, quia morimur, ideo nascimur; quia nascimur, ideo uxores ducimus, ut quod moriendo minuitur, nascendo suppleatur: ibi autem moriendi necessitas tollitur, unde & nascendi causa soluta est. *Hilarius* (can. 23. in *Matth.*) Et quidem suffecerat adversus sadduceos opinionem illecebræ corporeæ rescidisse, & officiis cessantibus inania hæc corporum gaudia fustulisse; sed adiecit: *Sed sunt sicut Angeli Dei in celo.* *Chrysostomus* in homil. 71. Per quod ad interrogatum convenienter respondent: qui enim hæc erat eis causa æstimandi resurrectionem non esse, quia credebant eandem fore resurrectionem conditionem, hæc causam removit, ostendens eos: alterius conditionis futuros. *Chrysostomus* super *Matth.* (hom. 42. in op. imperf.) Notandum vero, quod cum de jejuniis, & elemosynis; ceterisque virtutibus spiritualibus locutus fuit; nunquam Angelorum similitudinem introduxit, nisi cum de absolute a coitu loqueretur: quoniam sicut omnes actus carnales operata sunt animalium, præcipue tamen actus libidinis; sic omnes virtutes sunt res angelicæ, præcipue tamen caritatis; per quam vincitur natura virtutibus. *Hieronymus*, ubi supra. Quod ergo inferitur, *Sed sunt sicut Angeli Dei in celo*, spiritualis conversatio reprobmittitur. *Dionysius* (a) Tunc enim quando incorruptibiles, & immortales erunt, visibili quidem ipsius Dei apparitione in castissimis contemplationibus adimplebimur; intelligibilibus autem luminis donationem participabimus in impassibili; & in immateriali mente secundum imitationem supercælestium mentium: proter quod dicitur, quod erimus Angelis æqualis. *Hilarius*, can. 23. Eandem autem calumniam, quam sadducei asserunt de conjugio, asserre plures solent; in quam formam muliebris sexus resurgat. Sed qualis in Scripturis auctoritas est (1) de Angelis opinandi, talem in resurrectione (2) speciei nostræ sensum oportet esse de feminis. *Augustinus* 20. de *Civit. Dei*, cap. 17. Sed mihi melius videntur sapere qui utrumque sexum resurrecturam esse non dubitant: non enim libido ibi erit, quæ confusionis causa est: nam priusquam peccassent, nudi erant: natura autem servabitur, quæ tunc quidem & a concubitu, & a partu immunitur.

(1) Al. de Angelis & opinando talem. (2) Al. spei. (3) Al. hodie. (4) Al. semel esse: forte li. mul. esse. (5) Al. desperaverunt.

(6) Ex *Edm. P. Nicol.* (a) De Divinis Nominibus cap. 1. (b) *Hilarius* can. 23. ut supra. Quod subjungitur ex *Hilario*, prius ex *Hieronymo* notabatur.

erit: erunt tamen membra feminea non accommodata usui veteri; sed decori novo; quo non allicitur aspicientis concupiscentia, quæ nulla erit, sed Dei laudetur patientia; atque clementia, qui & quod non erat fecit: & liberavit à corruptione quod fecit. *Hieronymus*, ubi supra. Nemo enim dicit de lapide, & arbore, & his rebus quæ non habent membra genitalia, quod non nubent, neque nubentur; sed de his qui cum possint nubere, tamen aliqua ratione non nubunt. *Rabbanus* (super *Sicut Angeli in celo*). Hæc autem quæ dicta sunt de resurrectionis conditionibus, præpositæ reddidit questionem: de ipsa vero resurrectione contra eorum infidelitatem convenienter loquitur. *Chrysostomus* in hom. 71. à medio. Et quia illi interrogando, Moysen præmiserant; per Moysen eos confutat: unde subdit: *De resurrectione autem mortuorum non legis. Hieronymus* (super *De resurrectione mortuorum*). Ad comprobandam resurrectionis veritatem multis aliis exemplis manifestioribus uti potuit, ex quibus est illud *Esaï.* 26. „Resursum citabuntur mortui, & resurgent qui in montibus mentis sunt:“ & in alio loco; *Dan.* 12. „Multi dormientium de terræ pulvere resurgunt.“ Queritur ergo quid sibi voluerit Dominus hoc proferre testimonium, quod videtur ambiguum, vel non satis ad resurrectionis pertinens veritatem; & quasi hoc prolatum probaverit quod volebat, statim intrulerit: *Non est Deus mortuorum, sed viventium*. Supra diximus autem, sadduceos nec Angelum, nec spiritum, nec resurrectionem corporum confiteri, & animarum quoque interitum prædicasse: hi quinque tantum libros Moysi reciperant, Prophetarum varicina respicientes, quæ cum animabus bonæ malaque gesserunt. *Chrysostomus* in homil. 71. Sed qualiter alibi, *Rom.* 14. ait: „Ut vivorum, & mortuorum dominetur?“ Sed hoc non est simile ei quod (3) hic dicitur: mortuorum enim ibi dicitur (4) esse Dominus, eorum scilicet qui victuri sunt, non autem eorum qui semel (5) disparuerunt, & ultra non resurgent. (b) *Hieronymus* (super *Ego sum Deus Abraham*). Conside-

ran-

randum etiam, quod sermo hic ad Moysen (1) factus fuerat, sanctis istis Patriarchis jam pridem quiescentibus: erant ergo quorum Deus erat: nihil enim habere poterant, si non erant: quia in natura rei est ut esse id necesse sit cuius sit alterum; atque ita habere Deum, viventium est; cum Deus æternitas sit, & non sit eorum quæ mortua sunt, habere id quod æternum est: & quomodo esse illi futuri semper, negabuntur, quorum se esse profiteatur æternitas? *Origenes* (tract. 22.) Deus etiam est qui dicit Exod. 3. 14. „Ego sum qui sum.“ Sic ergo impossibile est ut dicatur eorum Deus esse qui non sunt. Et vide, quia nondixit: Ego sum Deus Abraham, Isaac, & Jacob: sed *Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob*. In alio autem loco sic dicit, Exod. 17. 3. „Deus Hebræorum misit me ad te.“ Qui enim perfectissime sunt circa Deum, quantum ad comparationem ceterorum hominum, totum habent Deum in se: propterea non communiter, sed singulariter dicitur eorum Deus; ut puta si dicamus, Ager ille illorum est, offendimus quod unusquisque eorum non habet eum in toto. Si autem dicimus, quod ager ille illius est, demonstramus quia totum agrum possidet ille. Ubi ergo dicitur, Deus Hebræorum, imperfectio demonstratur eorum: quia unusquisque eorum aliquid modicum de Deo habebat. Dicitur autem, *Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob*: quia singuli eorum totum habebant Deum. Non autem ad modicam laudem respicit Patriarcharum quod (2) Deo vivebant. *Augustinus* contra Faustam (Lib. 16. cap. 24.) Opportune itaque eadem voce nunc convinctur Manichæi, quia tunc convicti sunt sadducæi: nam & ipsam resurrectionem alio quidem modo, sed tamen etiam ipsi negant. *Augustinus* super Joannem (tract. 11. med.) Ideo autem specialiter *Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob* dicitur, quia in istis tribus omnes modi generationis filiorum Dei vocantur. Generat enim Deus multotiens de bono prædicatore bonum filium, & de malo malum: quod significatur per Abraham, qui de libera uxore fidelem filium habuit, & de ancilla infidelem genuit. Aliquando vero generat per bonum prædicatorem bonum, & malum filium: quod significatur in Isaac qui de libera unum bonum, & alterum malum generavit. Aliquando generat bonos per bonum, & malum prædicatorem: quod significatur per Jacob, qui bonos filios genuit & de liberis, & de ancillis. *Chrysostomus* super Matth. (hom. 42. op. imp.) Et vide quomodo sit infirmior congressio Judæorum contra Christum, Prima fuit cum ter-

(1) Al. iam factus fuerat. (2) Al. omittitur Deo. (3) Al. desit enim. (4) Al. desideratur Jesus.

rore dicendo, *In qua potestate hæc facis?* contra quam necessaria fuit constantia cordis. Secunda fuit cum dolo, contra quam necessaria fuit acuta sapientia. Hæc autem fuit cum præsumptione ignata, quæ præcedentibus facilius est. Hominem enim putantem fe aliquid scire, cum nesciat, viro scienti facile est convincere. Sic & operatio inimici in primis gravis est; sed si quis forti animo sustulerit, inveniet eum infirmorem. Sequitur: *Et audientes turbæ mirabantur in doctrina ejus. Remigius*. Non quidem sadducæi, sed turbæ mirantur. Hoc enim quotidie agitur in Ecclesia: cum (3) enim divina inspiratione adversarii Ecclesiæ superantur, turbæ fide- lium lætantur.

(d) *Hieronymus*. Quia supra pharisæi in ostensione denarii fuerant contenti, & adverte partis viderant factionem subitam, debuerant ex hoc moveri, ne ultra molirentur in insidias; sed malevolentia, & livor, nutrix impudentiam: unde dicitur: *Pharisæi autem audientes quod silentium impulsisset sadducæis, convenerunt in unum. Origenes*, tract. 23. Silentium autem sadducæis imposuit Jesus, volens ostendere quoniam mendacii vocem obmutescere facit claritas veritatis. Sicut enim proprium est iusti tacere, cum sit tempus tacendi, & loqui, cum sit tempus loquendi, non tamen obmutescere; sic proprium est omnium qui mendacii sunt detectors, obmutescere quidem quantum ad rem, non autem tacere. *Hieronymus* super *Sadducæi*. Pharisæi ergo, & sadducæi, qui inter se contrarii sunt, ad tentandum Jesum pari mente consentiunt. *Chrysostomus* super Matth. (homil. 42. oper. imperf.) Vel convenerunt in unum pharisæi, ut multitudine vincerent quem rationibus superare non poterant: à veritate nudos se professi sunt, qui multitudine se armaverunt. Dicebant enim apud se: Unus loquatur pro omnibus, & omnes loquamur per unum; ut si quidem vicerit, omnes videamur vicisse; si autem convictus fuerit, vel solus videatur confusus: & ideo sequitur: *Et interrogavit eum unus ex eis legis doctor, tentans eum. Origenes* (tract. 23.) Omnes ergo qui non discendi, sed tentandi causa interrogant aliquem doctorum; æstimare debemus illius pharisæi fratres, secandum illud infra 25. *Quod uni ex minimis vobis fecistis, mihi fecistis. Augustinus* de Con. Evam. (Lib. 2. cap. 73.) Non moveat autem quod Matthæus hic dicit tentantem fuisse à quo Dominus interrogatus est; Marcus autem hoc tacet, & in fine, cap. 12. ita concludit, quod ei Dominus (4) Jesus sapienter respondenti dixit: „Non longe es à regno Dei.“ Fieri enim

potest ut quamvis tentans accesserit, Domini tamen responsione correctus sit. Aut certe ipsam tentationem, (1) de qua loquitur Jacobus, non accipiamus malam tamquam decipere volentis inimicum, (2) sed cautam potius tamquam experiri amplius volentis ignotum: neque frustra scriptum est Eccli. 19. „Qui facile credit, levis est corde.“ Quid autem interroget, subditur: *Magister, quod est mandatum magnum in lege?* *Origenes*, tract. 23. Tentans dicebat, *Magister*, quoniam non tamquam discipulus Christi proferebat hanc vocem. Si quis ergo non dicit aliquid à Verbo, nec tradit se ei ex toto animo suo; dicit autem ei, *Magister*, frater pharisæi est Christum tentans. Cum ergo ante Salvatoris adventum legeretur lex, forsitan quærebatur quod est mandatum magnum in ea: neque enim interrogasset hoc pharisæus, nisi diu apud illos de hoc quæsitum fuisset & non inventum, donec vehiens Jesus hoc doceret. *Chrysostomus* super Matth. (hom. 22. oper. imperf.) De magno tamen mandato interrogat qui nec minium observabat. Ille debet interrogare de majori iustitia qui jam minorem complevit. *Hieronymus*. Vel non de mandatis interrogat, sed quod sit primum mandatum, magnumque: ut cum omnia quæ Deus mandaverit, magna sint, quicquid ille respondeat, occasionem habeat calumniandi. *Chrysostomus* super Matth. (in op. imperf. ut supra.) Dominus autem sic ei respondit ut interrogationis ejus scitiam conscientiam statim primo responso percuteret: unde sequitur: *At illi Jesus: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & in tota mente tua. Diliges*, inquit, non (3) Timebis, quia diligere magis est quam timere: timere enim servorum est, diligere filiorum; timor sub necessitate est, dilectio in libertate. Qui in timore servit Deo, poenam quidem evadit, mercedem vero iustitiæ non habet, quia (4) invidus fecit bonum propter timorem. Non vult ergo Deus ut timeatur serviliter ab hominibus quasi dominus, sed ut diligatur quasi pater, qui adoptionis spiritum donavit hominibus. Diligere autem Deum ex toto corde, est ut cor tuum non sit inclinatum ad alicujus rei dilectionem magis quam Dei. Diligere autem Deum in tota anima, est certissimum animum habere in ves-

ritate, & firmum esse in fide. Alius est enim amor cordis, & alius est amor animæ: Amor cordis quodammodo carnalis est, ut etiam carnaliter diligamus Deum; quod facere non possumus, nisi recedamus ab amore mundalium rerum. Cordis ergo amor sentitur in corde; amor vero animæ non sentitur, sed intelligitur, quia in iudicio animæ consistit. Qui enim credit apud Deum esse omne bonum, & nihil boni (5) esse extra ipsum, hic diligit Deum in tota anima. Tota vero mente diligere Deum est ut omnes sensus Deo vacent: cuius enim intellectus Deo ministrat, cuius sapientia circa Deum est, cuius cogitatio ea quæ Dei sunt tractat, cuius memoria quæ bona sunt recordatur, tota mente diligit Deum. *Augustinus* de Doct. Chri. (Lib. 1. cap. 22.) Vel aliter. *Deum ex toto corde diligere præcipis*: ut omnes cogitationes tuas; *ex tota anima*, ut omnem vitam tuam, *ex tota mente tua*, omnem intellectum tuum in illum conferas à quo habes ea quæ confers. Nullam ergo vitæ nostræ partem reliquit quæ vacare debeat, & quasi locum dare ut alia re velit frui. Sed quicquid aliud diligendum venerit in animum, illuc rapiatur quo totus dilectionis impetus currit: tunc enim est optimus homo cum tota vita sua pergit in incommutabile bonum. *Glossa* (interlinearis) *Vel ex toto corde* idest intellectu, *anima*, idest voluntate, *mente*, idest memoria, ut nihil ei contrarium velis, sentias, aut recorderis. *Origenes*, tract. 23. Vel aliter. *Ex toto corde*, idest secundum totam recordationem, & operationem, & cogitationem; *ex tota anima*, idest ut parati sint eam ponere pro pietate Dei; *in tota mente*, nihil aliud scilicet presentes nisi quæ Dei sunt. Et vide si potes: cor quidem accipere pro intellectu, quo intelligibilia (6) speculamur, mentem autem ad proferas res: mente enim proferimus singulas res, & per unum quodque quod significatur quasi mente nostra inambulamus, atque proferimus. Si autem tentanti pharisæo Dominus non respondisset, æstimare possumus non esse unum mandatum majus altero. Sed Dominus respondens subdit: *Hoc est maximum, & primum mandatum*: ubi dicitur sententiam de mandatis, quod est magnum, & sunt inferiora usque ad minima. Respondet autem Dominus non solum, quod est magnum

Q 4

man-

(1) In Veneta ed. an. 1521. omittitur de qua loquitur Jacobus; reliquæ autem quas præmanibus habemus, & alibi citamus, editiones hæc eadem habent quæ Romana. Omittit pariter P. Nicolai, quia in Augustino non habentur, hæc verba, licet reperiri fateatur in editionibus Parisiensis, & Antwerpensis (quæ tamen pro Jacobus legit Jacob) quas tantum consuluisse Nicolaum tum ex eo probabile sit quod hic nullam aliam citet, tum ex eo quod plures velut proprio Marte emendat errores tum sententiæ, tum indicum, qui in editionibus Romana, & Veneta jam pridem correcti fuerant.

(2) Al. sed causam. (3) Al. timori, item timere. (4) Al. injustus. (5) Al. omittitur esse. (6) Al. speculantur, mente autem &c.

mandatum, sed etiam primum, non pro ordine Scripturæ, sed pro dignitate virtutis. Hi autem soli hujus mandati in se suscipiunt magnitudinem, & primatum qui non solum diligunt Dominum Deum suum, sed etiam illa tria susceperint, scilicet ex toto corde &c. Docuit autem, quod non solum est magnum, & primum, sed etiam quod effect secundum simile priori, unde sequitur: *Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Si autem, qui diligit iniquitatem, odit animam suam: Psal. 10. manifestum est quod non diligit proximum sicut seipsum, cum nec seipsum diligat. *Augustinus* 1. de Doctr. Christ. cap. 30. Manifestum est autem omnem hominem proximum esse putandum, quia erga neminem operandum est malum. Jam vero si vel cui præbendum, vel à quo præbendum est nobis officium misericordiæ, recte proximus dicitur; manifestum est hoc præcepto, quo tenemur diligere proximum, etiam sanctos Angelos contineri, à quibus nobis tanta misericordiæ impenduntur officia quanta nobis in Scripturis animadvertere facile est. Ex quo & ipse Dominus noster proximum se nobis dici voluit, quoniam seipsum Dominus Jesus significat optularum esse semivivo jacenti in via. *Augustinus* 8. de Trin. (cap. 6. in fine.) Qui autem amat homines, aut quia iusti sunt, aut ut iusti sint, amare debet: sic enim & seipsum amare debet, aut quia iustus est aut (1) ut iustus sit: sic enim diligit proximum sicut seipsum sine ullo periculo. *Augustinus* 1. de Doctrin. Christ. (cap. 22.) Si autem teipsum non propter te debes diligere, sed propter illum ubi dilectionis tuæ rectissimus finis est; non succenseat aliquis homo, si & ipsum propter Deum diligis. Quisquis ergo recte proximum diligit, hoc eum eo debet agere ut etiam ipse toto corde diligat Deum. *Chrysostomus* super Matth (hom. 42. in oper. imperf.) Qui autem hominem amat, simile est sicut qui Deum amat: quia imago Dei est homo in quo Deus diligitur, sicut Rex in sua imagine honoratur. Et propter hoc dicitur hoc mandatum simile esse primo. (a) *Origenes.* Vel aliter. Quod mandatum sequens primo est simile, significat idem esse officii, & meriti in utroque: neque enim (2) aut Dei sine Christo, aut Christi sine Deo potest utilis esse dilectio ad salutem.

Sequitur: *In his duobus mandatis tota lex pendet, & Prophetæ.* *Augustinus* de Quæst. Evan.

(1) *Al. deest.* (2) *Al. omittitur* aut (3) *P. Nicolai ordinat sic:* ejusque dilectionis modus præscriptus sit, sequitur dilectio proximi, ut eum sicut teipsum diligas, eoque simul &c. (4) *Al. vincere.* Ex edit. P. Nicol. (a) *Hilarius* (b) In op. imperf. ut supra, non sicut prius, *Chrysostomus* in hom. per quem verus intelligitur.

(Lib. 1. cap. 33.) *Pendet* dicit, id est illic refertur ubi habet finem. *Rabbanus.* Ad duo enim hæc præcepta pertinet totus decalogus: præcepta quidem primæ tabulæ ad dilectionem Dei; præcepta secundæ ad dilectionem proximi. *Origenes* (tract. 23.) Vel quia qui omnia implevit quæ scripta sunt de Dei dilectione, & proximi, dignus est magnas gratias à Deo percipere, ut intelligat omnem legem, & Prophetas. *Augustinus* 8. de Trin. cap. 7. Cum autem sint duo præcepta, in quibus pendet lex, & Prophetæ, dilectio Dei, & proximi; non immerito Scriptura plerumque pro utroque unum ponit, sive dilectionem Dei sicut est illud Rom. 8. „Scimus enim quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum:“ sive dilectionem proximi, tunc est illud Galat. 5. „Omnis lex in uno sermone impletur: Diliges proximum tuum sicut teipsum.“ Sed hoc ideo quia qui proximum diligit, consequens est etiam ut Deum diligit: ex una enim eademque caritate Deum, proximumque diligimus; sed Deum propter Deum, nos autem, & proximum propter Deum. *Augustinus* 1. de Doctr. Christ. cap. 26. Sed tamen quoniam excellentior, & supra nostram naturam est divina substantia, præceptum quo diligimus Deum à proximi dilectione distinctum est: quod si te totum intelligas, id est animum, & corpus, & proximum tuum, id est animam, & corpus, nullum diligendarum rerum genus in his duobus præceptis prætermisum est. Cum enim præcurrat dilectio Dei, (3) sequatur dilectio proxime, ejusque dilectionis modus præscriptus sit, ut eum sicut te ipsum diligas; simul & tui abs te dilectio prætermisum non est.

(e) *Chrysostomus* (b) in hom. 73. Judæi æstimantes Christum esse hominem purum, eum tentabant; nec eum tentassent, si Filium Dei credidissent. Volens ergo Christus offendere quod cognoscebat fallaciam cordis eorum, & quia Deus erat, nec manifeste voluit (4) dicere veritatem, ne occasione blasphemiarum invenientes Judæi amplius insanirent, nec omnino tacere, quia ad hoc venerat ut veritatem annuntiaret: ideo talem interrogationem eis proposuit, ut ipsa interrogatio eis ostenderet quis esset: unde dicitur: *Congregatis autem pharisæis, interrogavit eos Jesus, dicens: Quid vobis videtur de Christo? Cujus filius est?* *Chrysostomus* in hom. 72. Discipulos quidem primum interrogavit quid alii dicerent de Christo, & tunc quid ipsi dice-

rent; hos autem non ita. Profecto enim seductorem eum dixissent, & malum. Existimabant autem quoniam Christus purus homo erat; & ideo dixerunt eum esse filium David: & hoc est quod subditur: *Dicunt ei, David.* Ipse autem hoc reprehendens, inducit Prophetam dominationem ejus, & proprietatem filiationis, & eohonorationem quæ est ad Patrem, testantem: unde (1) dicitur: *Quomodo ergo David in spiritu vocat eum Dominum, dicens: Dixit Dominus Domino meo: Sede à dextris meis, donec ponam &c.* *Hieronymus.* Testimonium hoc de 109. Psalmo sumptum est. Dominus ergo (2) David vocatur, non secundum id quod de eo natus est, sed secundum id quod natus ex Patre semper fuit, præveniens ipsum carnis suæ patrem. Vocat autem eum Dominum suum, non errore incepto, nec propria voluntate, sed Spiritu Sancto. *Remigius.* Quod autem dicit: *Sede à dextris meis,* non intelligendum est quod Deus corporeus sit, ut dexteram, vel sinistram habeat; sed à dextris Dei sedere; est in honore, & æqualitate paternæ dignitatis manere. *Chrysostomus* super Matth. (hom. 42. in oper. imperf.) Puto autem quod hanc interrogationem non solum contra pharisæos, sed etiam contra hæreticos posuit: nam secundum carnem vere filius erat David, Dominus autem secundum divinitatem. *Chrysostomus* in hom. 72. Non autem in hoc stat; sed ut timeant, subdit: *Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum:* ut saltem ita eos inducat. *Origenes,* tract. 23. Deus etiam non ad perditionem solum ponit ad scabellum pedum Christi inimicos ipsius, sed eorum salutem. *Remigius.* *Donec* autem pro infinito ponitur, ut sit sensus: (3) *Sede semper,* & inimici tui in sempiternum subjiciuntur pedibus tuis. *Glossa.* (a) Quod autem à Patre inimici sub-

jiuntur Filio, non infirmitatem Filii, sed unitatem naturæ significat: nam & Filius subjiicit inimicos Patri, quia Patrem clarificat super terram. Et ex hac auctoritate concludit: *Si ergo David vocat eum Dominum, quomodo filius ejus est?* *Hieronymus* (super *Congregatis autem*.) Interrogatio hæc nobis proficit usque hodie contra Judæos: & hi enim, qui consentiant Christum esse venturum, hominem simplicem, & sanctum virum asserunt de genere David. Interrogemus ergo eos docti à Domino: Si simplex homo est, & tantum filius David; quomodo David vocat eum Dominum suum? Judæi autem ad diluendam interrogationis veritatem, frivola multa confingunt; vernaculum Abraham asserentes, cujus filius fuit Damascus Eliezer, & ex ipsius persona scriptum Psalmum, quod post eadem quinque Regum, Dominus Deus Domino suo Abraham dixerit: *Sede ad dexteram meam, donec ponam &c.* Quos interrogemus, quomodo dixerit Abraham ea quæ sequuntur; & respondere cogamus quando Abraham ante Luciferum genitus sit, & quomodo sacerdos fuerit secundum ordinem Melchisedech, pro quo Melchisedech obtulerit panem, & vinum, & à quo decimas prædæ accepit. *Chrysostomus* in hom. 72. Hoc tantum imposuit finem ipsorum disputationibus, quasi magnum, & sufficiens præcludere eorum ora: unde sequitur: *Et nemo poterat respondere ei verbum, neque ausus fuit quisquam ex illa die eum amplius interrogare.* Siluerunt enim ex tunc non volentes, sed non habendo aliquid dicere. *Origenes,* tract. 23. Si autem interrogatio eorum fuisset ex voluntate discendi, numquam eis talia proposuisset ut amplius non essent ausi eum interrogare. *Rabbanus* (cir. finem Comment.) Ex hoc autem intelligimus venena invidiæ superari posse, sed difficile quiescere.

(1) *Al. subditur.* (2) *Al. filius David.* (3) *Al. Sed semper.*

Ex edit. P. Nicol. (a) Sive Anselmus.

CAPUT XXIII.

(a) **T**unc Jesus locutus est ad turbas, & ad discipulos suos, dicens: Super cathedram Moysi sederunt scribæ, & pharisæi. Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, servate, & facite; secundum opera vero eorum nolite facere: dicunt enim, & non faciunt. Alligant autem onera gravia, & importabilia, & imponunt in humeros hominum; digito autem suo nolunt ea movere.

(b) Omnia vero opera sua faciunt ut videantur ab hominibus. Dilatant enim phylacteria sua, & magnificant fimbrias. Amant autem primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in synagogis, & salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi. Vos autem nolite vocari Rabbi. Unus est enim magister vester, omnes autem vos fratres estis. Et patrem nolite vocare vobis super terram: unus est enim pater vester qui in cælis est. Nec vocemini magistri, quia magister vester unus est Christus. Qui major est vestrum,